LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

# Programm

des

# Königlichen und Gröning'schen Gymnasiums

zu

## Stargard in Pomm.,

mit welchem

**zu der am 3. und 4. April**

## stattfindenden öffentlichen Prüfung

ehrerbietigst einladet

**Lic. J. Tauscher,** Director.

**Inhalt:**



**Stargard 1871.**

Gedruckt bei Hermann Zantz.

# Programm

des

# Königlichen und Gröning'schen Gymnasiums

zu

## Stargard in Pomm.,

mit welchem

**zu der am 3. und 4. April**

## stattfindenden öffentlichen Prüfung

ehrerbietigst einladet

**Lic. J. Tauscher,** Director.

**Inhalt:**



**Stargard 1871.**

Gedruckt bei Hermann Zantz.

# De Aristotelis Ethicorum Nicomacheorum

## lib. VII c. 12—15

scripsit

**J. Wiggert.**



Quod in Aristotelis Ethicis Nicomacheis duplici loco (VII c. 12—15. X c. 1—5) de voluptate disseritur, varia ratione viri docti explicare studuerunt. Nam — ut omittam, quae ei vel veteres vel recentiores attulerunt qui leviter rem attigerunt — Fr. Schleiermacher, qui primus rem diligentius tractavit, libri VII disputationem sicut ipsos libros Nic. V—VII Eudemiorum esse contendit (Werke zur Philosophie I. pg. 306 sqq.), L. Spengel accuratissima illa de Ethicis Aristoteleis commentatione (Abhandlungen der Königl. Baierischen Akademie der Wissenschaften, philosophisch-philologische Klasse III Abth. 2—3 (1841) pg. 439—551 cf. Münchener Gelehrte Anzeigen 1842 N. 6—7 B. I pg. 49—64) aut prioris disputationis auctorem esse Eudemum aut, si ab Aristotele illa esset conscripta, non absolutam decimoque libro rem esse retractatam docuit, postea vero, quum A. M. Fischer (de Ethicis Nicomacheis et Eudemiis, Bonn 1847) et A. Th. H. Fritzsche (Aristotelis Ethica Eudemia, Ratisbon. 1851) libros VI—VII Eudemiis esse tribuenda convincere studuissent, libri VII disputationem ab Aristotele abiudicandam esse censuit (Münchener Gelehrte Anzeigen 1852 N. 54—56); contra ea J. Bendixen praecipue aliis Aristoteleorum librorum locis collatis genuinum esse totum Nicomacheorum librum septimum demonstrare contendit (Bemerkungen zum VII. Buch der Nicomach. Ethik, Philologus X. pg. 199—210. 263—294 — cf. eiusdem de Ethicorum Nicomacheorum integritate commentat. Ploen. 1854 —), et H. Anton postquam quae intercederet ratio inter Ethicorum Nicomach. libr. VII c. 12—15 et lib. X 1—5 diligentissime inquisivit, suam utramque commentationem habere rationem in re positam probasse sibi videtur (Danziger Gymnasial-Programm 1858)[1]. Alii autem eique summi viri certum iudicium non tulerunt: C. Prantl (Ueber die dianoet. Tugenden in der Nicomach. Ethik des Aristoteles 1852 pg. 6) nihil aliud dixit quamvis diligenter inquireretur inveniri posse nisi locos, quibus in Nicomacheis de voluptate ageretur, esse conturbatos; Ch. A. Brandis in egregio illo de Aristotelis philosophia libro (Gesch. der griech.-röm. Philosophie II, 2 (1857) pg. 1510 sq.) de duabus illis sententiis a Spengelio propositis, quarum utraque recta quin esse possit dubitari nequeat, nihil certi dicere audet; postremo Ed. Zeller in celeberrimo illo libro (Philosophie der Griechen, 2 A. V. II, 2 pg. 73 Anm.) quaestionem a quo Nicom. VII c. 12—15 conscripta sint nondum satis esse solutam iudicat. Quamobrem non supervacaneum mihi videtur esse rem denuo tractare et quibus variae illae sententiae nitantur argumentis recensere.

Ac primum quidem Fr. Schleiermacheri viri sagacissimi auctoritas non tantum valet, ut hac in re ei assentiamur. Illum enim de ethicis qui sub Aristotelis nomine feruntur libris, cum Magna quae dicuntur Moralia una ab ipso Aristotele profecta, tum Eudemia secundum illa,

---

[1]) Cf. Eustrat. ad Nic. X in. fol. 164a. Victor. ad Nic. X in. Stahr: Jahn's Jahrbb. V. XIV (1834) pg. 409. — W. E. Jelf Aristoteles Ethics with notes, Oxford and London 1856, pg. 176 (ad l. VII c. 11) note 116.

postrema Nicomachea conscripta esse diceret, non recte iudicasse hodie inter omnes constat. Libros autem eos, qui Eudemiis cum Nicomacheis communes sunt (Eudem. IV, V, VI Nicomach. V, VI, VII), quoniam Magnorum Moralium vestigia sequerentur, Eudemiis esse attribuenda illo errore ductus opinabatur (Werke zur Philosophie I, pg. 323—326). Prorsus vero contrariam esse ethicorum qui Aristotelis nomen gerunt librorum rationem, Nicomachea sola ab ipso Aristotele profecta, Eudemia postea ab Eudemo Rhodio conscripta esse, denique Magnorum Moralium auctorem posteriore aetate ita excerpsisse Ethica Eudemia, ut simul Nicomacheorum rationem haberet, L. Spengel egregia illa commentatione supra laudata quin luculenter docuerit, quis est qui dubitet? Quae si certa sunt, libros communes Nicomacheis esse tribuendos facile concedes, nisi probatum erit aut sententias aut dicendi disserendique genus ab eis abhorrere.

Quod Schleiermacherum non probasse Spengel demonstravit, neque Fischerum neque Fritzschium — qui quidem Nicomacheorum librum quintum excepto capite quinto decimo Aristoteli, lib. V c. 15 librosque sextum et septimum Eudemo Rhodio attribuendos esse contendunt — convicisse Carolo Prantl et Brandisio equidem assentior. Et de lib. VI, VII 1—11 satis habeo horum virorum iudicia afferre: Prantl enim (über die dianoetischen Tugenden in der Nikomach. Ethik des Aristoteles pg. 5—7) haec profert: „Betrachtet man die Gründe näher, welche für die Meinung, dass VI und VII der Nikomachien ursprünglich den Eudemien eigen seien, vorgebracht werden, so zeigt sich bald, dass sie zu einem Beweise bei weitem nicht hinreichen. — Aus den Beziehungen auf Früheres oder Folgendes lässt sich gar Nichts schliessen, weil sie auf die Sache, auf den Inhalt, gehen, dieser aber im Ganzen den Nikomachien und Eudemien gemeinschaftlich ist. — Aus den Worten *ἔστι δὲ τὸ μὲν εἰπεῖν οὕτως ἀληθὲς μέν, οὐθὲν δὲ σαφές* VI 1 pg. 1138 b 25 auf einen von Aristoteles verschiedenen Verfasser jener Zeilen zu schliessen, ist ein arges Missverständniss, da die Worte dort nur den allgemein bekannten Unterschied von *ἀληθές* und *σαφές* überhaupt bezeichnen. Ebensowenig kann doch an den Gebrauch der Worte *ἐπαγωγή* (VI 3 p. 1139 b 28) oder *ὅρος* (VI, 1, 1138 b 23. VII, 14, 1153 b 25), oder des Optativs *εἴη ἄν* (VI, 10, 1142 b 32) eine Verdächtigung geknüpft werden, da, um von *ἐπαγωγή* gar nicht zu reden, *ὅρος* ebenso Nic. I, 5, 1097 b 12 steht und jener Optativ unzähligemal bei Aristoteles sich findet. Anders ist es mit *ὅλη ἀρετή* VI, 13, p. 1144 a 5, welches allerdings in den Eudemien (II, 1, 1219 b 21 und 1220 a 3) zweimal vorkömmt; jedoch eine solche Einzelheit ist, wenn auch sehr zu bemerken, doch noch kein Beweis für einen bestimmten Autor. — So sind wir durch Fritzsche durchaus nicht überzeugt worden, dass die fraglichen zwei Bücher den Eudemien angehören, und wir glauben insbesondere, dass der von Spengel gegebene schlagende Beweis für die ursprüngliche Integrität der zehn Bücher der Nikomachien noch nicht widerlegt ist und wohl schwerlich auch widerlegt werden kann.“ Brandisius autem, qui in ethices Aristoteleae descriptione (Aristoteles pg. 1335—1522) Eudemia semper accuratissime confert et quibus in rebus consentiant, quibus differant diligenter notat cuiusque auctoritas plurimum valet, pg. 1556 sq. haec habet: „Wir haben nicht von Neuem nachzuweisen, welcher Schein Schleiermachers verwerfende Beurtheilung der Nikomach. Ethik veranlasst habe, und müssen uns begnügen die Ueberzeugung auszusprechen, die drei Bücher, die dieser Ethik mit der Eudemischen gemein sind, gehören jener, der Nikomachischen, an. Diese Ueberzeugung nicht wankend gemacht durch Fischer's und Fritzsche's Versuch, das sechste und siebente Buch dem Eudemus zu vindiciren, beruht theils auf den schon von Spengel geltend gemachten Gründen, theils auf Vergleichung der Art, wie Aristoteles und wie Eudemus Gegenstände der Ethik und der Physik zu behandeln pflegen. Während ich in den fraglichen drei Büchern

Nichts zu entdecken vermag, was der Anschauungs- und Darstellungsweise des ersteren nicht vollkommen entspräche, vermisse ich in ihnen die Eigenthümlichkeiten des letzteren. Diese Bücher behandeln gleich den übrigen der Nikomach. Ethik ihre Gegenstände in grosser Stetigkeit und im Geiste der Ursprünglichkeit, wie sich's weder in den drei ersten Büchern, noch in dem letzten Buche des Eudemus findet." pg. 1511 Anm.: „die drei gemeinsamen Bücher dem Eudemus beizulegen, scheint mir durchaus nicht Grund vorhanden." [1]) Atque haec quidem de lib. VI et VII c. 1—11; iam vero ad extremam libri septimi partem (c. 12—15) propius accedamus, de qua illi viri, ut supra pg. 1 commemoravi, non eandem sententiam dixerunt. Et his de capitibus praecipue contra Fritzschium disputandum nobis est, quippe qui longe plurima congesserit, quibus abiudicanda ea esse ab Aristotele Eudemoque attribuenda demonstraret.

Fritzschius in prolegomenis pg. XXIX exponit, quae ratio inter Aristotelis et Eudemi ethica intercedat: Eudemo propositum fuisse dicit moralem Aristotelis doctrinam denuo explicare et explanatius uberiusque exponere, partim a dubitationibus quibusdam adversariorum liberare, partim conformare et corrigere eaque opera scholae Peripateticae auctoritatem confirmare et stabilire. Itaque summam doctrinae Eudemiis expositae in universum eandem esse quae Ethicorum Nicomacheorum, eandem dispositionem rerum et viam ac rationem quaestionum, quasdem sententias ipsius Aristotelis verbis repetitas; quod Simplicius de Physicis Eudemiis scribat, cum Eudemum *παραφράζειν τὰ τοῦ Ἀριστοτέλους* dicat (cf. Brandis. III, pg. 218, 8), idem de multis Ethicorum locis dici posse; ut in Physicis alia Aristotelis placita altius repetierit, alia accuratius definierit, ita in Ethicis Eudemum alia re altius repetita accuratius definisse, alia novis argumentis modo simplicioribus modo subtilioribus confirmasse, de aliis, quae satis enucleata in Nicomacheis essent, breviter et summatim praecepisse, alia quae non satis recte nec satis accurate illic dicta viderentur, conformasse atque correxisse; hanc autem correctionem ita esse comparatam, ut gradu magis quam re ab Aristotelis placitis eam differre existimandum sit. Quae recte esse exposita cum Spengeli (pg. 507—509), Brandisi (Aristoteles pg. 1558 sqq. III pg. 240 sqq. coll. pg. 217—240) Zelleri (Philosophie der Griechen II, 2 pg. 698 sqq.) consensu confirmatur [2]), tum quisquis Eudemia diligenter perlegerit Aristoteleis comparatis facile cognoscet. Jam vero quaeritur, num haec in quattuor extrema Nic. VII capita quadrent. Equidem non quadrare existimo atque ea argumenta, quibus Fritzschius nititur, nihil valere contendo. Nam quod, ut demonstret locutiones easdem una cum rebus eisdem, quas in aliis Eudemiorum libris legimus, redire, ea verba affert, quae in capite 14 pg. 1153 b 14 exstant: *διὰ τοῦτο πάντες τὸν εὐδαίμονα ἡδὺν οἴονται βίον εἶναι καὶ ἐμπλέκουσι τὴν ἡδονὴν εἰς εὐδαιμονίαν εὐλόγως,* et inde quod Eud. I. 5 pg. 1216 a 35 haec legimus: *ἕτεραι δ' εἰσὶν ἡδοναὶ δι' ἃς εὐλόγως*

---

[1]) Similiter olim L. Spengel in commentatione pg. 468: „Sprache und Ausführung in diesen drei Büchern scheinen uns ächt Aristotelisch, völlig übereinstimmend mit dem übrigen, was die Nikomachien geben." p. 483 sq. „Soviel glauben wir mit Entschiedenheit behaupten zu können, dass die drei Bücher ganz der Aristotelischen Vorstellung in Wort und Gedanken entsprechen und nichts Tadelnswerthes an ihnen auszusetzen ist." p. 499: Betrachtet man die Nikomachien im Zusammenhange, so müssen wir nach sorgfältiger Prüfung die drei Bücher der Sprache wie dem Inhalte nach als diesen eigen und ächt Aristotelisch erklären."

[2]) Brandis III p. 240: „So stellt sich denn Eudemus in seiner Physik als ein den Gedanken des Meisters mit Sorgfalt und Verständniss nachsinnender, aber nur in Nebenpunkten und zaghaft von ihnen sich entfernender Schüler dar. Ein ähnliches Bild gewährt uns von ihm die Ethik."

Zeller ll. pg. 709: „Im Uebrigen unterscheidet sich die Eudem. Ethik, soweit sie uns erhalten ist, von der Aristotelischen, ähnlich wie die Physik, nur durch einzelne Umstellungen, Erläuterungen, Verkürzungen, durch Aenderungen des Ausdrucks und der Fassung."

*οἴονται τὸν εὐδαίμονα ζῆν ἡδέως,* Eudemi illa verba esse intellegi putat (pg. 189, 14—15. coll. pg. 12, 37), certe haud probabile est.[1]) Item falsum est, quod Fritzsche dicit, verba quae in eodem capite 14 pg. 1153 b 32 leguntur: *πάντα γὰρ φύσει ἔχει τι θεῖον,* collatis eis quae Eud. I, 7 pg. 1217 a 27 sq.: *τῶν ὄντων οὐθὲν ὃ μὴ κατὰ τὴν ἐπωνυμίαν ἐν τῇ φύσει μετέχει θείου τινός,* et Eud. VII, 14, p. 1248 a 26 sq. leguntur: *δῆλον δή, ὥςπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεός, καὶ πᾶν ἐκείνῳ. κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον,* Eudemi esse apparere, quin totum librum Eudemi esse declarare (p. 191, 32). Nam iam Spengel (p. 529) attulit, quae apud Aristotelem de anima II, 4, p. 415 a 29 legimus: *ζῷον μὲν ζῷον, φυτὸν δὲ φυτόν, ἵνα τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχωσιν ᾗ δύνανται.* Rectius quidem est, quod Fritzsche prolegg. p. XXXVIII notat, orationis quandam brevitatem in his capitibus observari: ut c. 12 pg. 1152 b 12 *ὅλως μὲν οὖν οὐκ ἀγαθόν* suppl. *δοκεῖ τισιν ἡ ἡδονή.* pg. 1152 b 15—23 *ἔτι ὁ σώφρων φεύγει τὰς ἡδονάς. ἔτι ὁ φρόνιμος τὸ ἄλυπον διώκει, οὐ τὸ ἡδύ. ἔτι ἐμπόδιον τῷ φρονεῖν αἱ ἡδοναί. ἔτι τέχνη οὐδεμία ἡδονῆς. ἔτι παιδία καὶ θηρία διώκει τὰς ἡδονάς* — varia argumenta, ex quibus colligant voluptatem non esse bonum, cf. c. 13 pg. 1153 a 6 *ὥςτ' οὐδ' ἡδοναί.* c. 14, p. 1154 a 5 *εἴπερ μηδ' ἡδονή.* al., neque tamen inde elucet, ab Eudemo illa scripta esse, quoniam eandem brevitatem in Nicomacheis quoque inveniri Fritzsche ipse agnoscit.

Quod c. 15 pg. 1154 b 28 et Eud. VII, 1 pg. 1235 a 16 verba quaedam ex Oreste Euripidea (v. 234) petita afferuntur, non demonstrat, id quod Fritzsche pg. XLI demonstrari iudicat, utrumque locum Eudemo esse attribuendum, quoniam eadem verba Rhet. I, 11 pg. 1371 a 28, alios eiusdem poetae versus saepius ab Aristotele allatos invenimus (cf. Nic. III, 1 pg. 1110 a 28. VIII, 2 p. 1155 b 2 sqq. al.) Quod si, ut demonstraretur dicendi disserendique genere Eudemum philosophum notari, nihil gravius potuit exhiberi, non elucere id quod probandum erat iudicabimus. — Nec magis ex eis capitum nostrorum locis elucet, quibus Aristotelis doctrinam uberius explanatiusque expositam esse Fritzsche contendit. Conferamus enim eos lib. VII et X locos, quibus illam sententiam niti dicitur, ut cognoscamus, utris utros illustrari rectius iudicetur. Ac primum disputationum exordia, quibus cur de voluptate in ethicis disseri necesse sit probatur, haec sunt: VII c. 12, 1152 b 1—7. *Περὶ δὲ ἡδονῆς καὶ λύπης θεωρῆσαι, τοῦ τὴν πολιτικὴν φιλοσοφοῦντος· οὗτος γὰρ τοῦ τέλους ἀρχιτέκτων, πρὸς ὃ βλέποντες ἕκαστον τὸ μὲν κακόν, τὸ δ' ἀγαθὸν ἁπλῶς λέγομεν. Ἔτι δὲ καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐπισκέψασθαι περὶ αὐτῶν· τήν τε γὰρ ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν τὴν ἠθικὴν περὶ λύπας καὶ ἡδονὰς ἔθεμεν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν οἱ πλεῖστοι μεθ' ἡδονῆς εἶναί φασιν.* X, 1, 1172 a 19 sqq. *Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ ἡδονῆς ἴσως ἕπεται διελθεῖν· μάλιστα γὰρ δοκεῖ συνῳκειῶσθαι τῷ γένει ἡμῶν· διὸ παιδεύουσι τοὺς νέους οἰακίζοντες ἡδονῇ καὶ λύπῃ· δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἤθους ἀρετὴν μέγιστον εἶναι τὸ χαίρειν οἷς δεῖ καὶ μισεῖν ἃ δεῖ· διατείνει γὰρ ταῦτα διὰ παντὸς τοῦ βίου, ῥοπὴν ἔχοντα καὶ δύναμιν πρὸς ἀρετήν τε καὶ τὸν εὐδαίμονα βίον· τὰ μὲν γὰρ ἡδέα προαιροῦνται, τὰ δὲ λυπηρὰ φεύγουσιν.* Priore loco philosophus formula quadam causas illas significat (*τὴν ἀρετὴν ἠθικὴν περὶ λύπας καὶ ἡδονὰς ἔθεμεν,* cf. Magn. Moral. II, 7, 1204 a 25), posteriore autem ea, quibus potissimum placitum illud: *περὶ*

[1]) Sententiam eandem apud Aristotelem invenimus Nic. X, 1 p. 1172 a 23 sq. c. 7 pg. 1177 a 23 *οἰόμεθα δεῖν ἡδονὴν παραμεμῖχθαι τῇ εὐδαιμονίᾳ.*

*ἡδονὰς καὶ λύπας ἡ ἠθικὴ ἀρετή* continetur, quae Nic. II, 2 pg. 1104$^{b}$9 sqq. uberius sunt exposita, declarat (cf. pg. 1172$^{a}$20. 25 et 1104$^{b}$34. 9—11. 1105$^{a}$2—5. — pg. 1172$^{a}$21 et 1104$^{b}$16—18. — pg. 1172$^{a}$22 et 1105$^{a}$6—7. 12—13. 1104$^{b}$11—13. 21 sqq. 32 sqq.). Ex quo efficitur libri decimi exordium uberius esse ac gravius, neque intellegimus, quomodo factum sit, ut Schleiermacher iniquissimum de eo iudicium faceret.[1]) Certe igitur falsum est quod Fritzsche dicit (prolegg. pg. XLIV, 54) libri septimi auctorem verbis suis libri decimi exordium interpretari. Quod non rectius de sequentibus contenditur (VII, 12, 1152$^{b}$8 sqq. X, 1, 1172$^{a}$27 sqq.), quibus philosophus quas alii de voluptate proposuerint doctrinas enumerat; et septimo quidem libro has affert sententias:

1) *τοῖς μὲν οὖν δοκεῖ οὐδεμία ἡδονὴ εἶναι ἀγαθόν, οὔτε καθ' αὑτὸ οὔτε κατὰ συμβεβηκός.*

2) *τοῖς δ' ἔνιαι μὲν εἶναι, αἱ δὲ πολλαὶ φαῦλαι.*

3) *ἔτι δὲ τούτων τρίτον, εἰ καὶ πᾶσαι ἀγαθόν, ὅμως μὴ ἐνδέχεσθαι εἶναι τὸ ἄριστον ἡδονήν.*

decimo autem has:

1) *οἱ μὲν γὰρ τἀγαθὸν ἡδονὴν λέγουσιν*

2) *οἱ δ' ἐξ ἐναντίας κομιδῇ φαῦλον.*

Tum argumenta, quibus illae sententiae nitantur, adiiciuntur et refutantur, ita ut lib. VII refutationi per totam disputationem (c. 13—15) pertinenti ipsius Aristotelis placita interponantur, decimo autem libro refutatis c. 2 aliorum sententiis philosophus c. 3—5 quid ipse sentiat separatim exponat. Ex quibus utra melior sit ac dilucidior rerum dispositio certe dubitari non potest.

Deinde quae legimus lib. VII c. 13 pg. 1152$^{b}$29—33 *αἱ φαῦλαι δοκοῦσαι εἶναι αἱ μὲν ἁπλῶς φαῦλαι τινὶ δ' οὔ ἀλλ' αἱρεταὶ τῷδε, ἔνιαι δ' οὐδὲ τῷδε ἀλλὰ ποτὲ καὶ ὀλίγον χρόνον, αἱρεταὶ δ' οὔ· αἱ δ' οὐδ' ἡδοναί, ἀλλὰ φαίνονται, ὅσαι μετὰ λύπης καὶ ἰατρείας ἕνεκεν, οἷον αἱ τῶν καμνόντων* exemplo adiecto Fritzsche dicit interpretari ea quae legimus l. X. c. 2, pg. 1173$^{b}$20—25 *πρὸς δὲ τοὺς προφέροντας τὰς ἐπονειδίστους τῶν ἡδονῶν λέγοι τις ἂν ὅτι οὐκ ἔστι ταῦθ' ἡδέα· οὐ γὰρ εἰ τοῖς κακῶς διακειμένοις ἡδέα ἐστίν, οἰητέον αὐτὰ καὶ ἡδέα εἶναι ἁπλῶς, πλὴν τούτοις, καθάπερ οὐδὲ τὰ τοῖς κάμνουσιν ὑγιεινά, ἢ γλυκέα, ἢ πικρά· οὐδ' αὖ λευκὰ τὰ φαινόμενα τοῖς ὀφθαλμιῶσιν.* — At vides hoc quoque loco aegrotos commemorari, exempla autem multo uberiora proponi.

Deinde eam sententiam, quam VII c. 13 pg. 1152$^{b}$33 — 1153$^{a}$2 expressam invenimus, qua voluptates eae, quae soluta harmonia comitantur actiones habitum naturalem restituentes, per accidens, non absolute iucundae esse dicuntur, cum et sint voluptates, quae gignantur non antecedente dolore aut cupiditate (cf. Plat. Phileb. pg. 31$^{d}$ sqq. 42$^{d}$. Rep. IX pg. 585. Tim. pg. 64—65): *Ἔτι ἐπεὶ τοῦ ἀγαθοῦ τὸ μὲν ἐνέργεια, τὸ δ' ἕξις, κατὰ συμβεβηκὸς αἱ καθιστᾶσαι εἰς τὴν φυσικὴν ἕξιν ἡδεῖαί εἰσιν· ἔστι δ' ἡ ἐνέργεια ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς ὑπολοίπου*[2]) *ἕξεως καὶ φύσεως, ἐπεὶ καὶ ἄνευ λύπης καὶ ἐπιθυμίας εἰσὶν ἡδοναί, οἷον αἱ τοῦ θεωρεῖν ἐνέργειαι, τῆς φύσεως οὐκ ἐνδεοῦς οὔσης* — fluxisse Fritzsche (pg. 183, 35) dicit

---

[1]) Il. p. 318: „Das zehnte Buch wird auf eine sehr flache Art bevorwortet." „Die Behandlung der Lust in l. X eingeleitet bloss durch solche Redensarten — bliebe des Aristoteles unwürdig."

[2]) Difficilis intellectu loci huius interpretationem probabilem proposuit M. Vermehren, Aristotel. Schriftstellen, I, p. 81 sq.

ex Nic. X, 2, 1173 b 7—20, ubi haec legimus: *λέγουσι δὲ τὴν μὲν λύπην ἔνδειαν εἶναι τοῦ κατὰ φύσιν, τὴν δ' ἡδονὴν ἀναπλήρωσιν· ταῦτα δὲ σωματικά ἐστι τὰ πάθη· εἰ δή ἐστι τοῦ κατὰ φύσιν ἀναπλήρωσις ἡ ἡδονή, ἐν ᾧ ἡ ἀναπλήρωσις, τοῦτ' ἂν καὶ ἥδοιτο· τὸ σῶμα ἄρα· οὐ δοκεῖ δέ· οὐκ ἔστιν ἄρα ἀναπλήρωσις ἡ ἡδονή, ἀλλὰ γινομένης μὲν ἀναπληρώσεως, ἥδοιτο ἄν τις, καὶ κενούμενος*[1] *λυποῖτο· ἡ δόξα δ' αὕτη δοκεῖ γεγενῆσθαι ἐκ τῶν περὶ τὴν τροφὴν λυπῶν καὶ ἡδονῶν· ἐνδεεῖς γὰρ γινομένους καὶ προλυπηθέντας ἥδεσθαι τῇ ἀναπληρώσει. Τοῦτο δ' οὐ περὶ πάσας συμβαίνει τὰς ἡδονάς· ἄλυποι γάρ εἰσιν αἵ τε μαθηματικαί, καὶ τῶν κατὰ τὰς αἰσθήσεις αἱ διὰ τῆς ὀσφρήσεως· καὶ ἀκροάματα δὲ καὶ ὁράματα πολλὰ καὶ μνῆμαι καὶ ἐλπίδες· τίνος οὖν αὗται γενέσεις ἔσονται; οὐδενὸς γὰρ ἔνδεια γεγένηται, οὗ γένοιτ' ἂν ἀναπλήρωσις.* Equidem vero nihil video nisi haec: illo loco sententiam breviter ac parum dilucide esse adumbratam, hoc uberius et explanatius expositam. Quamobrem illa verba quin prius, haec posterius scripta sint, mihi non videtur dubium esse.

Tum quae legimus pg. 1153 a 20: *ἐμποδίζει δὲ οὔτε φρονήσει οὔθ' ἕξει οὐδεμιᾷ ἡ ἀφ' ἑκάστης ἡδονή, ἀλλ' αἱ ἀλλότριαι, ἐπεὶ αἱ ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν καὶ μανθάνειν μᾶλλον ποιήσουσι θεωρεῖν καὶ μανθάνειν·* non dubium esse Fritzsche contendit quin translata sint a Nic. X, 5 pg. 1175 b 1 sqq. *ἔτι δὲ μᾶλλον τοῦτο* (sc. voluptatum species esse inter se diversas) *ἂν φανείη ἐκ τοῦ τὰς ἀφ' ἑτέρων ἡδονὰς ἐμποδίους ταῖς ἐνεργείαις εἶναι κτλ.* — item verba cp. 14 pg. 1153 b 1 sqq. *ὅτι καὶ ἡ λύπη κακόν, ὁμολογεῖται, καὶ φευκτόν — τῷ δὲ φευκτῷ τὸ ἐναντίον ᾗ φευκτόν τε καὶ κακόν, ἀγαθόν· ἀνάγκη οὖν τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν τι εἶναι·* — petita ex lib. X, c. 2 pg. 1172 b 18 sqq. *οὐχ ἧττον δ' ᾤετο* (Eudoxus cf. c. 2 in.) *εἶναι φανερὸν* (sc. *τὴν ἡδονὴν τἀγαθὸν εἶναι*) *ἐκ τοῦ ἐναντίου· τὴν γὰρ λύπην καθ' αυτὸ πᾶσι φευκτὸν εἶναι, ὁμοίως δὴ τοὐναντίον αἱρετόν κτλ.* Quae ita se habere argumentis vir doctus non probavit, nec potuit probare.

Jam vero accedamus ad eum locum, quem potissimum translatum esse ab Eudemo ex Nicomacheis, quin demonstrare totam de voluptate disputationem, quam in libro septimo invenimus, ab Eudemo non ab Aristotele conscriptam esse Fritzschius sibi persuasit. Legimus enim VII c. 14 pg. 1153 b 5 sqq. *ὡς γὰρ Σπεύσιππος ἔλυεν, οὐ συμβαίνει ἡ λύσις, ὥςπερ τὸ μεῖζον τῷ ἐλάττονι καὶ τῷ ἴσῳ ἐναντίον· οὐ γὰρ ἂν φαίη ὅπερ κακόν τι εἶναι τὴν ἡδονήν* (i. e. Speusippus illam Eudoxi sententiam voluptatem bonum esse e contrario intellegi, quoniam dolorem malum esse inter omnes constaret, non refutavit, cum dixit, ut maius contrarium esset minori et aequali, ita contrariam esse voluptatem et ei quod medium esset[2]), X, c. 2 pg. 1173 a 5—13: *Οὐκ ἔοικε δὲ οὐδὲ περὶ τοῦ ἐναντίου καλῶς λέγεσθαι· οὐ γάρ φασιν, εἰ ἡ λύπη κακόν ἐστι, τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι· ἀντικεῖσθαι γὰρ κακὸν κακῷ, καὶ ἄμφω τῷ μηδετέρῳ, λέγοντες ταῦτα οὐ κακῶς, οὐ μὴν ἐπί γε τῶν εἰρημένων ἀληθεύοντες· ἀμφοῖν μὲν γὰρ ὄντων κακῶν, καὶ φευκτὰ ἔδει ἄμφω εἶναι· τῶν μηδετέρων δὲ μηδέτερον,*

---

[1]) Sic legimus cum Spengelio (Abhandlung pg. 531 Anm.) collato Platonis Philebo pg. 35. 47c.

[2]) Cf. Gelli noctt. Att. IX, 5: Speusippus vetusque omnis Academia voluptatem et dolorem duo mala esse dicunt opposita inter sese, bonum tamen esse, quod utriusque medium foret.

*ἢ ὁμοίως· νῦν δὲ φαίνονται τὴν μὲν φεύγοντες ὡς κακὸν, τὴν δ' αἱρούμενοι ὡς ἀγαθόν· οὕτω δὴ καὶ ἀντίκειται.* „Quorum si comparatio instituitur, — ut Fritzsche pg. 188, 5—6 — planum et apertum est, praesertim quum illo loco Speusippi nomen reticeatur, hoc loco commemoretur, eam quaestionem quae hoc nostro libro (VII) de voluptate explicetur, non Aristotelis esse, sed discipuli eius Eudemi.“ Opinatur igitur vir doctissimus inde, quod in libro septimo sententiae propositae auctoris nomen adiiciatur, apparere ab Eudemo eum esse profectum.[1]) An quia Eud. III, 2, 1231 a 17 Philoxeni nomen invenimus, quod Nicomachea suo loco non exhibent? — At lib. X c. 2 in. Eudoxi nomen est commemoratum, l. VII c. 14 in. non invenitur.

Postremo ea quae VII, c. 14 pg. 1153 b 25 sqq. legimus: *καὶ τὸ διώκειν δ'ἅπαντα καὶ θηρία καὶ ἀνθρώπους τὴν ἡδονὴν σημεῖόν τι τοῦ εἶναί πως τὸ ἄριστον αὐτήν* ad exemplum eorum, quae l. X, c. 2, 1172 b 35 sqq. exhibet: *οἱ δ' ἐνιστάμενοι ὡς οὐκ ἀγαθὸν οὗ πάντ' ἐφίεται, μὴ οὐθὲν λέγωσιν· ὃ γὰρ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναί φαμεν·* esse expressa, non coniectura, sed oculis ac manibus teneri Fritzsche contendit (pg. 190, 27), sed ne minimum quidem probavit. Nam quod dicit sententiae l. VII ll. quomodo cohaereant ex l. X ll. intellegi, non confirmat id quod prolegg. pg. XLIV professus erat: hos locos in eorum numero esse, qui libri septimi auctorem docerent disputationem libri X voluisse interpretari.

Atque haec quidem de eis locis, quibus eum qui lib. VII, c. 12—15 scripserit libri decimi disputationem interpretari Fritsche opinatur; videamus nunc, quid iudicandum sit de eis, quibus Aristotelis de voluptate doctrinam conformari ac corrigi dicit. Notat autem ille praecipue ea quae legimus c. 13 pg. 1153 a 12—15. c. 14 pg. 1153 b 7 sqq. 25 sqq. Ac primo quidem loco quod voluptas dicatur *ἐνέργεια ἀνεμπόδιστος,* in decimo autem libro non extet tam certa voluptatis definitio, cum *εἶναι ἐν τῇ ἐνεργείᾳ* pg. 1175 a 1, *ἕπεσθαι τῇ ἐνεργ.* 1175 a 5. 1176 a 26. *τελειοῦν τὴν ἐνέργ.* pg. 1174 b 23 al. illa dicatur (add. pg. 1175 b 2 *αἱ ἀφ' ἑτέρων (ἐνεργειῶν) ἡδοναί,* pg. 1175 b 21 sq. *αἱ ἐπὶ τῇ ἐνεργ. γινόμεναι),* pg. 1175 b 33 sqq. diserte ab actione distingnatur; quod vocabulum *ἀνεμπόδιστος* nullo alio Nicomacheorum loco reperiatur; quod Rhet. I, 11 in. voluptas ita definiatur, ut dicatur (pg. 1369 b 33 sqq.) *εἶναι τὴν ἡδονὴν κίνησίν τινα τῆς ψυχῆς καὶ κατάστασιν ἀθρόαν καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν,* valde probabile videri vir doctissimus contendit, eum qui haec scripserit pg. 1153 a 12—15: *διὸ καὶ οὐ καλῶς ἔχει τὸ αἰσθητὴν γένεσιν φάναι εἶναι τὴν ἡδονὴν, ἀλλὰ μᾶλλον λεκτέον ἐνέργειαν τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως, ἀντὶ δὲ τοῦ αἰσθητὴν ἀνεμπόδιστον·* ante oculos habuisse illa quae leguntur Nic. X, c. 4 (et fortasse etiam Rhet. I, 11.) cumque quae fluxa essent Nic. X certioribus verbis studuisse exprimere (Fritzsche Eud. pg. 185 sq.) — Itane vero? Nonne constat decimo libro uberrime ac diligentissime Aristotelem exposuisse, quam rationem inter voluptatem et actionem intercedere vellet, et luculenter demonstrasse gigni voluptatem actione et ea quidem perfecta? — Non igitur correxisset, sed corrupisset et obscurasset Eudemus rectam illam Aristotelis doctrinam, si supposuisset eandem esse utramque notionem. Nec septimo libro desunt loci, quibus illam de voluptatis origine sententiam significatam inveniamus (cf. c. 13 pg. 1153 a 21 sq. *αἱ ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν καὶ μανθάνειν ἡδοναί* coll. X, 5, 1175 b 2). Eo autem loco de quo agimus, non habemus voluptatis definitionem accuratam, sed incohatam descriptionem, quam philosophus pro ea, quam Plato et Academici proposuerant, ad tempus substituit postea

[1]) Cf. Spengel ll. p. 530.

diligentius rem explanaturus, id quod lib. X c. 4—5 invenimus. Etiam l. X c. 3 Aristoteles contra Platonem ita disputat, ut voluptati attribuat actionis qualitates. Ille enim ut Cyrenaicorum sententiam refelleret, qui voluptatem summum bonum dixissent, id quod illi ipsi contenderant [1]) motum et ortum (*κίνησιν καὶ γένεσιν*) eam esse opposuerat; motum autem et ortum non ipsos esse fines, voluptatem igitur imperfectam. [2]) Contra ea Aristoteles voluptatem quovis temporis momento perfectam ac totum quiddam integrumque esse nec posse dividi contendit (*ἐν ὁτῳοῦν χρόνῳ τέλειον, τῶν ὅλων τι καὶ τελείων ἡ ἡδονή, ὅλον τι ἐν τῷ νῦν* X, 3 1174 [a] 14 sqq. [b] 5, 7 sqq. 10 sqq.), atque ita easdem qualitates ei attribuit quas actioni. Cf. Metaph. VIII, c. 1—9. Bonitz: comment. pg. 387. 392 sqq. 396 sqq. Trendelenburg: Aristot. de anima comment, pg. 295 sqq. Ex eis, quae hinc ad cognoscendum quam statuerit Aristoteles *ἐνεργείας* notionem colligimus, simul apparet eam finem complecti (cf. Metaph. VIII, c. 7 pg. 1049 [a] 7 sqq. 13. c. 8 pg. 1050 [a] 9. 22.) Itaque nihil refert, utrum epitheton illud, quod VII, 13, 1153 [a] 15 legimus: (*ἀνεμπόδιστος*, cf. 1153 [b] 10), in decimo Nicomacheorum libro reperiatur necne, praesertim cum ab Eudemo id non profectum esse ea doceant, quae Polit. VI (IV), 11, 1295 [a] 35 sqq. legimus *εἰ καλῶς εἴρηται τὸ τὸν εὐδαίμονα βίον εἶναι τὸν κατ' ἀρετὴν ἀνεμπόδιστον κτλ.* — Quod vero Aristoteles Rhetor. I, c. 11 in. ipse Platonis de voluptate sententiam [3]) proponit, quam in Ethicis prorsus reiecit, ita explicandum mihi videtur, ut philosophum in rhetorices libris ad vitae usum spectantibus ad volgatas descendisse opiniones dicamus. Cf. Zell ad Nic. VII. c. 13 pg. 314. Trendelenburg Aristot. de anima pg. 177. Brandis, Philologus, 1849, p. 26. — Quae cum ita sint, Fritzschium ne de hoc quidem loco recte iudicare apparet.

Reliquum est, ut explicare conemur, quomodo factum sit, ut Aristoteles VII c. 14 voluptatem *ἄριστον* esse posse concedat, pg. 1153 [b] 7 sqq. *ἄριστόν τ' οὐδὲν κωλύει ἡδονήν τινα εἶναι, εἰ ἔνιαι φαῦλαι ἡδοναί, ὥςπερ καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἐνίων φαύλων οὐσῶν· ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον, εἴπερ ἑκάστης ἕξεώς εἰσιν ἐνέργειαι ἀνεμπόδιστοι, εἴθ' ἡ πασῶν ἐνέργειά ἐστιν εὐδαιμονία, εἴτε ἡ τινὸς αὐτῶν, ἂν ᾖ ἀνεμπόδιστος, αἱρετωτάτην εἶναι· τοῦτο δ' ἐστὶν ἡδονή· ὥςτε εἴη ἄν τις ἡδονὴ τὸ ἄριστον, τῶν πολλῶν ἡδονῶν φαύλων οὐσῶν, εἰ ἔτυχεν,*

---

[1]) Cf. Plat. Phileb. pg. 53 [c]. Diog. Laert. II, 86—89. Euseb. praep. evang. XIV, 18 (p. 764).

[2]) Cf. Phileb. pg. 20 [c—d] 26 [d] sqq. 53 [c] sqq. 54 [c—d]. — Aristoteles de voluptate disserens num contra Platonem disputarit Spengel (ll. pg. 522—532) quum dubitavit, tum *κίνησιν* et *γένεσιν* voluptatem a Platone dici prorsus negavit, et hac de re Brandisius (pg. 1501, 441) ei assensus est; dicunt enim in Philebo doceri summum bonum non esse ortum, non contendi voluptatem ortum esse, *κίνησιν* autem nusquam commemorari. Mihi vero Plato Phileb. pg. 26 [d] sqq. 53 [c] —55 voluptatem *γένεσιν* planis verbis videtur dicere eoque etiam *κίνησιν*, quoniam haec notio illa generalior Platoni videtur esse (cf. de legg. X p. 894 sqq. J. Deuschle Jahrbb. für Philologie und Paedagog. 1855, I. p. 176—181); accedit, quod Plato Rep. IX. p. 583 [e] haec habet: *τὸ ἡδὺ ἐν ψυχῇ γιγνόμενον — κίνησίς τις*, et in Philebo in voluptatis descriptione identidem verba *ἀπιέναι, καθιστάναι* al. adhibet et voluptatem *ἀναχώρησιν, κατάστασιν, ὁδὸν εἰς τὴν οὐσίαν* dicit (cf. pg. 31 [d], 32 [a—b], 42 [d]).

[3]) Cf. praeter locos proxima adnotatione significatos Tim. pg. 64 [d]: *τὸ δὲ τῆς ἡδονῆς καὶ λύπης ὧδε δεῖ διανοεῖσθαι· τὸ μὲν παρὰ φύσιν καὶ βίαιον γιγνόμενον ἀθρόον παρ' ἡμῖν πάθος ἀλγεινόν, τὸ δ' εἰς φύσιν ἀπιὸν πάλιν ἀθρόον* (i. e. confertum, cumulatum opp. *τὸ δ' ἠρέμα, κατὰ σμικρόν* pg. 65 [a]) *ἡδύ.*

*ἁπλῶς· καὶ διὰ τοῦτο πάντες τὸν εὐδαίμονα ἡδὺν οἴονται βίον εἶναι, καὶ ἐμπλέκουσι τὴν ἡδονὴν εἰς τὴν εὐδαιμονίαν, εὐλόγως.* pg. $1153^{b}$ 25 sqq. *καὶ τὸ διώκειν δ' ἅπαντα καὶ θηρία καὶ ἀνθρώπους τὴν ἡδονὴν σημεῖόν τι τοῦ εἶναί πως τὸ ἄριστον αὐτήν,* cum lib. X c. 2 Eudoxi sententia reiiciatur. Quae dissensio semper potissimum effecit, ut capita nostra ab Aristotele abiudicanda et Eudemo attribuenda esse viri docti existimarent. [1]) At libro decimo Aristoteles docet voluptates specie differre; quae cum actionibus ita sint coniunctae, ut malis actionibus malae, bonis bonae voluptates gignantur, quasdam voluptates esse expetendas ac bonas (cf. c. 5 pg. $1175^{b}$ 24 sqq.). Quamquam inde, quod voluptates specie differant, apparere dicit voluptatem non esse summum bonum, quod non sufficiat sola ad bene beateque vivendum, cum et nemo vitam degere cupiat sola mente pueri praeditus, et res sint quae appetantur, etiamsi nullam afferant voluptatem (c. 2 pg. $1173^{b}$ 25 sqq.), tamen c. 2—3 maximam partem confert ad refellenda ea argumenta, quae contra Eudoxi sententiam erant prolata, quibus illam non infringi docet nec demonstrari voluptatem non esse bonum. Jam si c. 2 pg. $1172^{b}$ 35—$1173^{a}$ 5 haec legimus: *οἱ δ' ἐνιστάμενοι ὡς οὐκ ἀγαθόν, οὗ πάντ' ἐφίεται, μὴ οὐθὲν λέγωσιν· ὃ γὰρ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναί φαμεν· ὁ δ' ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ· εἰ μὲν γὰρ τὰ ἀνόητα ὠρέγετο αὐτῶν, ἦν ἄν τι τὸ λεγόμενον· εἰ δὲ καὶ τὰ φρόνιμα, πῶς λέγοιεν ἄν τι; ἴσως δὲ καὶ ἐν τοῖς φαύλοις ἐστί τι φυσικὸν ἀγαθὸν κρεῖττον ἢ καθ' αὐτά, ὃ ἐφίεται τοῦ οἰκείου ἀγαθοῦ,* nonne congruunt cum illis quae l. VII c. 14 pg. $1153^{b}$ 25—32 extant? [2]) Nonne ea, quae pg. $1173^{a}$ 5—13 habemus, idem volunt demonstrare quod VII, 14, $1153^{b}$ 4 sqq. comprobatum invenimus? Itaque pariter potuit concludi: *ἀνάγκη οὖν τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν τι εἶναι* ($1153^{b}$ 4). Jam si philosophus VII c. 14 amplius tendit et demonstrare studet, quamvis malae sint quaedam voluptates, unam tamen esse posse summum bonum, adversariorum contra quos disputat eum duci sententia assentimur Antonio (ll. pg. 8 sqq. pg. 15 sq.), atque idem iudicamus, quod supra de eo libri septimi loco, quo *ἡδονή ἐνέργεια* dicitur, diligentiore suae doctrinae descriptione (quam liber decimus exhibet) fuisse Aristotelem rem postea accuratius expositurum. [3])

Haec si recte disputata sunt, apparet infirma esse ea argumenta, quibus illa opinio abiudicandam esse ab Aristotele extremam septimi libri partem nititur. Jam si quaeritur, quomodo factum esse putemus, ut duplicem contineant Nicomachea de voluptate commentationem, probatur mihi ea sententia, qua in libro septimo servatam nobis esse putant incohatam quandam ab Aristotele voluptatis descriptionem, pro qua non perfecta postea ille novam substituerit. Diligentius enim quin sit conscripta libri decimi commentatio, quis est qui dubitet? Illa enim singulas

---

[1]) Cf. scholion illud, quod volgo Aspasio tribuitur, in Spengeli commentatione pg. 520. Schleiermacher ll. pg. 330. Fischer de Ethic. Nicom. et Eudem. pg. 5—6 adnot. Fritzsche pg. 188 sq. 7. Spengel Münchener Gelehrte Anzeigen 1852, pg. 442 sq.

[2]) Hanc veram Aristotelis esse sententiam demonstrant ea quae de anima II, 4, $415^{a}$ 28 sqq. legimus (cf. supra pg. 8).

[3]) Cf. Brandis pg. 1511 Anm. „Wenngleich im VII Buch der Behauptung entgegengetreten wird, die Lust könne nicht das Beste sein, so wird doch zugleich ihr das Prädikat des Besten nur zugestanden, insofern sie untrennbar verbunden mit der Kraftthätigkeit sei, und auf diese Weise wird der scheinbare Widerspruch mit den Bestimmungen des zehnten Buches nur zu einer Verschiedenheit, die sich daraus erklären lässt, dass der nicht zu Ende geführte Entwurf auf die Erörterung des Verhältnisses von Lust und Kraftthätigkeit nicht weiter eingeht, vielmehr sich begnügt, das Unzureichende der Gründe für die entgegengesetzte Annahme nachzuweisen."

res, de quibus philosophus disserit, uberrime expositas videmus, in septimo autem libro plerumque paucis adumbratas, saepe leviter significatas: voluptatem nec motum nec ortum esse multis verbis docetur X. c. 2, 1173a 29—1173b 7. c. 3, 1174a 13—b14, attingitur VII, c. 13, 1153a 9—13. 15—16, — nec ἀναπλήρωσιν X, c. 2, 1173b 7—20, VII c. 13, 1152b 35—1153a 4; quod voluptate effici in decimo libro uberrime exponitur, ut actio augeatur (c. 5 pg. 1175a 30 bis 1176a 3), id uno loco l. VII significatum invenimus (c. 13, 1153a 22); deinde gravissimam illam sententiam, quae l. X. c. 4 explanatur, voluptate actionem perfici, qua summa Aristoteleae de voluptate doctrinae vis continetur [1]), in septimo libro frustra quaeres. Cuius rei causa inde videtur repetenda esse, quod in libri septimi commentatione non eam invenimus rerum dispositionem, qua philosophus cum in aliis libris diligentius conscriptis tum in libri decimi de voluptate disputatione usus est, ut aliorum sententiis expositis ac perpensis quid ipse sentiat declaret. Illic enim, ut iam supra commemoravimus, de una vetere illa philosophorum controversia agitur, utrum voluptas bonum sit an summum bonum an malum; qua de re variae sententiae afferuntur, argumenta, quibus illae nitantur, paucis adumbrantur, suam sententiam philosophus in refutandis adversariis interponit, quatenus ad refutandum necessarium est, neque eo processit expositio, ut ipsius Aristotelis de voluptatis natura sententia uno ut aiunt tenore explicetur. Quo factum est, ut voluptas strictim dicatur ἐνέργεια (c. 13, 1153a 10. 14 al.), quod qualitates quaedam ei cum actione, ex qua oriatur, communes esse philosophus docet, cum decimo libro illae notiones accurate distinguantur (c. 5, 1175b 33 sqq.); ut summa doctrinae Aristoteleae, quam X. 4—5 uberrime expositam invenimus, ubi probatur voluptatem gigni actione eaque et perfecta et homini propria, in libro septimo non nisi per occasionem attingatur (cf. pg. 1152b 34, 1153a 14, 1153b 10 sqq. 1154b 20. al.).

Quae cum ita sint, necesse mihi videtur esse iudicemus libri septimi commentationem prius quam alteram esse conscriptam, nam αἱ δεύτεραί γε, ut ait Euripides, φροντίδες σοφώτεραι. Quod si non ita se haberet, si ab Eudemo esset profecta, non explanasset ille Aristotelis doctrinam, sed corrupisset et obscurasset quae diligenter ac perspicue explicata, conturbasset quae via ac ratione exposita erant, id quod supra identidem demonstravi.

Ex quo efficitur Aristotelem conscripsisse ea capita, de quibus agimus. Quod non refelli eis locis quibus ad priora relegamur apparere puto, si ad c. 12, 1152b sqq. contuleris II, 2, 1104b 9 sqq., ad c. 15, 1154a 32 (quo de loco Prantl ll. pg. 6 non recte iudicavit) c. 6, 1148b 15 sqq. c. 7, 1149b 28—30. — Nonnulla ex antecedentibus in memoriam revocantur, quamquam non disertis verbis allegantur: ad c. 13, 1153a 33—34 et c. 14, 1154a 10 cf. c. 8 in. c. 7, 1149b 30. c. 6, 1147b 25—28. III, 13. — ad c. 14, 1154a 12. 17 cf. c. 6, 1147b 25—27 — ad c.

---

[1]) Manat enim ex hac sententia (X, 4, 1171b 31—33 τελειοῖ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονὴ οὐχ ὡς ἡ ἕξις ἐνυπάρχουσα, ἀλλ' ὡς ἐπιγιγνόμενόν τι τέλος, οἷον τοῖς ἀκμαίοις ἡ ὥρα sc. ἐπιγίγνεται) id quod Aristoteles docet voluptate indicari virtutem, Nic. II, 2, 1104b 3, sq.: σημεῖον δεῖ ποιεῖσθαι τῶν ἕξεων τὴν ἐπιγινομένην ἡδονὴν ἢ λύπην τοῖς ἔργοις. Quod cum omisisset Fr. Schleiermacher fortasse falsa illa de genuinis Aristotelis libris ethicis opinione ductus, factum est, ut obiiceret philosophum virtutem in agendo posuisse, non in sentiendi ratione (Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre. p. 41). Longe autem aliter rem se habere intelleges, si contuleris hos Nicomacheorum locos: I, 9, 1099a 17—20. II, 2, 1104b 5—8. IV, 2, 1120a 26 sq. 29. b 30. c. 4, 1022b 7. IX, 9, 1170a 8 sqq. X, 2, 1173b 30. — II, 3, 1105a 28 sqq. V, 13, 1137a 8 sq. 23. VI, 13, 1144a 13—20. II, 3, 1105a 32. III, 1, 1110b 12. c. 4 in. 1111b 5—6, 10, 1115b 12 sq. 23. 11, 1116b 3. 31. 1117a 8. IV, 2 in. c. 4, 1122b 6 sq.

14, 1154ᵃ 15 sq. cf. c. 6 sqq. — ad p. 1153ᵇ 17 sq. cf. I, 9, 1099ᵃ 31 sqq. Qui loci probant lib. VII, c. 12—15 ab eodem scriptore esse profecta, a quo eiusdem libri c. 1—11, haec autem Aristotelem scripsisse supra pg. 5 sq. posui.

Pariter autem probabile mihi videtur non absolutam esse aut perpolitam a philosopho commentationem: testis est manca illa rerum dispositio, testis brevis illa adversariorum argumentorum enumeratio, quam c. 12 pg. 1152ᵇ 12 sqq. legimus, testis magna illa verborum obscuritas et inconcinnitas, quam saepissime, praecipue in capite 13 offendimus; cuius de initio M. Vermehren hoc iudicium tulit (Aristotelische Schriftstellen I, p. 79 sq.): „Gleich der erste Absatz (pg. 1152ᵇ 25—1153ᵃ 7) muss in Verlegenheit setzen, weil die eigentliche Hauptfrage darin nur mittelbar berührt wird, und es nicht sofort einleuchtet, welcher denn von den angezogenen Gründen hier seine Widerlegung finden soll.“ — „Ueberhaupt erscheint die logische Form der ganzen Stelle vernachlässigt. Wenn z. B. die zweite Einwendung mit dem Satze eingeleitet wird: *ἔτι ἐπεὶ τοῦ ἀγαθοῦ τὸ μὲν ἐνέργεια, τὸ δ' ἕξις κτλ.* pg. 1152ᵇ 33 sqq., so ist dies eine Umkehrung des Beweisverfahrens, indem hier gezeigt wird, dass ein *κατὰ συμβεβηκὸς σπουδαῖον* zugleich ein *κατὰ συμβεβηκὸς ἡδύ* sei, während man den Beweis erwartete, dass ein *ἡδύ* zugleich ein *ἀγαθόν* sei.“ Cf. sqq. Adde, quod l. 29 parum liquet, utrum *αἱ φαῦλαι δοκοῦσαι εἶναι* dicantur *αἱ κινήσεις καὶ αἱ γενέσεις* an *αἱ ἡδοναί;* quod l. 31 *αἱρεταί* idem quod *ἁπλῶς αἱρεταί,* quod ad verba *αἱ δ' οὐδ' ἡδοναί* supplendum *εἰσί,* quamquam opponitur *φαίνεσθαι.* Dubium deinde est pg. 1152ᵇ 34 4, quae sint *αἱ καθιστᾶσαι εἰς τὴν φυσικὴν ἕξιν, ἡδοναί* (Brandis p. 1509) an *ἐνέργειαι,* quod vocabulum Zell comment. recte mihi supplere videtur; l. 35 ad verba *ἔστι δ' ἡ ἐνέργεια* supplenda *ἡ καθιστᾶσα εἰς τὴν φυσικὴν ἕξιν;* vocabulum autem *ὑπολοίπου* quid sibi velit intellegere semper difficillimum visum est (cf. ea, quae commentatores ad hunc locum attulerunt; M. Vermehren ll. pg. 81). Idem iudicandum est de verbis quae p. 1153ᵃ 16 legimus: *δοκεῖ δὲ γένεσίς τισιν* (sic enim cum Rassovio: observatt. critic. in Aristotelem, Berl. 1858 pg. 28 scribendum esse puto) *εἶναι, ὅτι κυρίως ἀγαθόν,* quae quo pertineant non liquet. Adde anacoluthon illud c. 15 in. pg. 1154ᵃ 22 sqq., numeri enallagen l. 27 (*ἐκκρούει*); quin totius capitis 15 partes inter se non apte cohaerere recte Anton ll. pg. 11 docet. Molesta deinde sunt extrema commentationis verba pg. 1154ᵇ 32—34: *περὶ μὲν οὖν ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας καὶ περὶ ἡδονῆς καὶ λύπης εἴρηται,* postquam iam c. 11 extr. pg. 1152ᵃ 34 haec legimus: *τί μὲν οὖν ἐγκράτεια καὶ τί ἀκρασία — εἴρηται.* — l. 34 *λοιπὸν δὲ καὶ περὶ φιλίας ἐροῦμεν,* cum insequentis capitis initio haec inveniamus: *μετὰ δὲ ταῦτα περὶ φιλίας ἕποιτ' ἂν διελθεῖν.* — Quantopere nonnumquam conturbatus sit ordo rerum, Anton (ll. pg. 7) declarat, cum de pg. 1153ᵃ haec profert: „In examinandis singulis sententiis Aristoteles ita progreditur, ut initium capiat a tertia cum eaque coniungat primam primae causam, tum ad secundam transeat adiiciatque quartam primae causam, denique in prima persistat exploranda.“

Sed haec quidem hactenus; perspicuum enim puto esse id quod demonstrare volui, nec perpolitam esse ab Aristotele commentationem nec absolutam, sed eum, cum amicitia l. VIII—IX tractata, ut opus perficeret, ad beatitudinem explanandam aggrederetur, cui voluptas maxime coniuncta esset, novam disputationem conscribere quam interruptam absolvere maluisse. Nullum

enim invenimus in posterioribus philosophi libris locum, quo ad l. VII c. 12—15 relegemur: exorditur ille l. X prioris commentationis oblitus, quasi primum ad tractandam voluptatem accedat; ubi in extrema Nicomacheorum parte breviter ac summatim res tractatas significat (c. 6 in. c. 10 in.), voluptatem post amicitiam affert; ubi de beatitudine denuo disserit (IX, c. 9, X, 6—7), omissis eis, quae VII, c. 14 commemorata sunt, non nisi primi libri rationem habet (cf. pg. 1169$^b$28 sqq. et I, c. 6, 1098$^a$6 sqq. 16 sqq. — 1169$^b$ 32 sqq. et I, 9 1099$^a$7. 16, — pg. 1176$^a$ 32 sqq. et I, 9, 1098$^b$32 sqq. — p. 1176$^b$ 1 sqq. 1177$^a$ 18 sqq. et I, 6. 9. 2. 5. 11, 1100$^b$ 12—16; praeterea cf. 1169$^b$ 26 et 1099$^a$ 15—16, 1170$^a$ 8—11 et 1099$^a$ 8 sqq., 1170$^a$. et 1099$^a$ 13 1170$^a$ 4 et I, c. 9 c. 3 in., 1170$^a$ 7 et I, 11, 1100$^b$ 12—16).

Nec Bendixenio possum assentiri in Politicis quae ad voluptatem et beatitudinem pertineant, ad Nic. librum septimum respicere; nam omissis eis locis, quibus illum librum tacite attingi dicit,[1]) ex eis, quibus disertis verbis ad Nic. VII, 12—15 nos relegari contendit, quae Pol. IV (VII), 13, 1332$^a$ 8 sqq. legimus: *φαμὲν δὲ καὶ ἐν τοῖς ἠθικοῖς — ἐνέργειαν εἶναι καὶ χρῆσιν ἀρετῆς τελείας* sc. *τὴν εὐδαιμονίαν*, certe Nic. I, c. 6. 9. 13 respicere persuasum habeo (cf. Brandis p. 1610, 636); item ei Ethicorum laudationi quam Pol. VI (IV), 11, 1295$^a$ 35 sqq. invenimus: *εἰ καλῶς ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται τὸ τὸν εὐδαίμονα βίον εἶναι τὸν κατ' ἀρετὴν ἀνεμπόδιστον, μεσότητα δὲ τὴν ἀρετήν*, quamquam vocabulum *ἀνεμπόδιστος* in Nicomacheis non nisi Nic. VII, 13 et 14 legitur, ea quae Nic. I, 9, 1099$^a$31— $^b$8. 11, 1100$^b$29 invenimus satis facere puto.[2]) Quod autem Victori, Stahri, Jelfi [3]) sententiam sequentes Bendixen et Anton probare studuerunt, diversas res in utraque commentatione tractatas esse, ea repugnant, quae supra p. 8 sqq. 14 eadem utroque loco inveniri docui, quamquam concedo in septimo libro praecique de corporis voluptatibus disseri et respici quae in antecedentibus capitibus de continentia philosophus exposuit (cf. supra p. 14); repugnant ea quoque quae pg. 15 sqq. attuli, praecipue quod l. X philosophus ita orditur, ut nullam prioris commentationis habeat rationem.

Jam si quaesieris quomodo potuerit fieri, ut commentatio imperfecta Nicomacheis insereretur, respondendum, de Aristotelis Ethicis idem esse iudicandum, quod de aliis summis eius operibus, Metaphysicis, Physicis, Politicis, quae non ab ipso philosopho edita esse inter omnes constat (cf. Bonitz: Metaph. comment. pg. 7 sqq. Brandis: p. 882 sqq. 1665 al.). Quod non infirmatur eo, quod in libris quibusdam postea scriptis *τὰ ἠθικά* commemorantur (Bendixen: Philologus X, p. 202 sqq.), cum, ut nonnulla alia afferam exempla, de caelo I, 8, 277$^b$ 9 ad Meta-

---

[1]) Confert enim Pol. I, 2, 1253$^a$ 29. VIII, 4 1338$^b$ 21 sq. et Nic. VII, 1, 1145$^a$ 20. 6, 1148$^b$ 22 — Pol. VII, 14, 1332$^b$ 16 et Nic. VII, 1, 1145$^a$ 20 — Pol. VII, 1, 1323$^b$ 23 et Nic. VII, 15, 1154$^b$ 26sqq. — Pol. VII, 17, 1336$^b$ 26 et Nic. VII, 1, 1145$^b$ 3 — Pol. VII, 10 in. 1329$^a$ 40 et Nic. VII, 12 in. — Pol. VII, 3, 1325$^b$ 23 et Nic. VII, 12 in. — Equidem vero Pol. VII, 1, 1323$^b$ 40sqq. c. 8, 1328$^a$ 37sqq. c. 9, 1328$^b$ 36. 1329$^a$ 22. c. 13, 1331$^b$ 39, 1331$^b$ 41—1332$^a$ 1, 1332$^a$ 25. 1332$^a$39sqq, c. 14, 1333$^a$ 16sqq. c. 15, 1334$^b$ 6. 1334$^b$ 18 ea quae Nic. I et X de beatitudine dicta sunt respici contendam.

[2]) Continetur enim illud epitheton *ἐνεργείας* notione cf. supra p. 12.

[3]) Aristoteles Ethics with notes by William Edward Jelf, Oxford and London 1856, pg. 176: Having discussed and explained the nature of *ἀκρασία* and *ἐγκράτεια* Ar. now proceeds to *ἡδονή* and *λύπη* as the motive causes of human action, while in the tenth book he rather considers them in their relation to and connection with the end *εὐδαιμονία*. — note 116) The distinction given in the last note will point out a difference in his way of looking at pleasure and pain in this book and the tenth, while their close connection with *ἀκρασία* will suggest a sufficient reason, why the should have introduced them here.

physica, Nic. X, 3, 1174[b] 2—3 ad Physicam auscultationem (*περὶ κινήσεως*) relegamur, qui libri quin non sint absoluti quis est qui dubitet? — Nec desunt alia vestigia, quibus non perfecta esse Nicomachea apparet: nam quae Aristoteles II, c. 7, 1108[a] 30 sqq. post virtutes morales de animi quibusdam motibus disserere sibi proponit (*εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ἐν τοῖς περὶ τὰ πάθη μεσότητες — ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων καὶ ἄλλοθι καιρὸς ἔσται*), praeter incohatam pudoris tractationem IV, 15 frustra quaeris; deinde conferas duplices illas formulas, quibus transitio fit a libro quarto ad quintum, a nono ad decimum; tum loci quidam inveniuntur, quibus ad antecedentia vel sequentia relegamur, quibus tamen ea quae in Nicomacheis habemus non satisfaciunt: VIII, 2, 1155[b] 15—16. IX, 9, 1170[a] 25. X, 7, 1177[a] 18.

Fieri denique potuisse, ut incohatae commentationes ab Aristotele reiectae et retractatae libris ab aliis editis insererentur, nonnulla alia exempla docent: conferas enim ea, quae viri docti de Aristotelis Metaphysicorum libro K (Brandis: die Aristotelische Metaphysik, Denkschr. der Berliner Akademie, 1334, p. 66 sqq. Bonitz: Aristot. Metaphys. II, p. 15. 451 sqq.), de Kateg. c. 5, Topic. II, 7 disputaverunt (cf. Spengel: über die dritte Philipp. Rede des Demosthenes, Abhandl. der Münchener Akademie, philos. philol. Kl. III, 1, p. 194—197); quin veterem eius rei auctorem habemus Simplicium, prudentissimum illum physicae Aristoteleae interpretem, qui de phys. l. VII (fol. 242) haec dicat: *ἐπειδὴ φαίνεται καὶ τοῦτο μὴ πάνυ τῆς πρὸς τὰ ἄλλα βιβλία συγγενείας τὰ ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ ἀπᾷδον μηδὲ τῆς τοῦ Ἀριστοτέλους ἀγχινοίας ἀνάξιον, τάχα ἂν εἴποιμι πρότερον μὲν ἀπὸ τοῦ Ἀριστοτέλους γραφῆναι τοῦτο, ὕστερον δὲ ἐν τῷ τελευταίῳ βιβλίῳ τῶν ἐν τούτῳ κεφαλαίων ἀκριβέστερον διαρθρωθέντων τινὰς ὡς οἰκεῖον αὐτὸ τῇ πραγματείᾳ συντάξαι.*

Quae cum ita sint, eam de Nic. VII, c. 12—15 sententiam, quam L. Spengel et Ch. A. Brandis viri acutissimi librorumque Aristoteleorum penitus gnari probari posse olim censuerint, non prorsus reiectum iri sperare mihi videor.